

§ [11]. Item mandamus sub pena excommunicationis omnibus et singulis clericis beneficiatis nostrarum civitatis et diocesis, ne pro aliquibus personis ecclesiasticis ^{a)} vel mundanis pro pecuniarum summis aut rebus aliis promittant nomine fidejussorio aut ^{b)} se obligent quovis modo nisi de nostra licencia speciali.

§ [12]. Ceterum quia usurarum vorago, que non solum animas devorat sed etiam facultates humilium gravibus laboribus acquisitas exhaustit, os suum in partibus nostris, ut intelleximus, dilatavit ipsorumque crimen adeo invaluit, quod multi Christiani nostrarum civitatis et diocesis in receptione usurarum iudeis deteriores et nequiores sunt effecti, aliis negotiis et laboribus derelictis usurarum lucro non solum in utroque testamento sed etiam jure canonico et civili prohibito quasi licito insistentes, ideoque vobis omnibus et singulis in virtute sancte obedientie et sub penis in sacris canonibus super hoc editis districte precipiendo mandamus, quatinus usurarios manifestos ad communionem non admittatis eorumque oblaciones non recipiatis nec eos ad confessionem in extremis nec corpora eorum ad ecclesiasticam sepulturam recipiatis, nisi prius de usuris receptis satisfecerint aut ydonee de eisdem restituendis caverint et alias fecerint, prout in capitulo¹⁾ , Quia in omnibus²⁾ de usuris et in capitulo²⁾ , Quamquam³⁾ eodem titulo libro sexto latus continetur. Que capitula cum capitulo³⁾ , Eos⁴⁾ de sepulturis in Clementinis contra tales usurarios manifestos per vos mandamus districtius observari.

§ [13]. Eciam mandamus sub pena excommunicationis omnibus et singulis clericis beneficiatis ecclesiarum nostre civitatis, ne tempore divinorum dictam nostram ecclesiam Hildensemensem aut alias ecclesias

^{a)} Ḥdſchr. ecclesiastis. ^{b)} pag. 101.

¹⁾ Decr. Gregorſ IX Lib. V Tit. XIX cap. 3. ²⁾ Decr. Bonifac̄ VIII Lib. V Tit. V cap. 2. ³⁾ Clement. Lib. III Tit. VII cap. 1.